



Sammelbd. 1

4.



5.

I. N. 7.

EX SYNOPSIS THEOLOGICÆ JUDAICÆ
VETERIS & NOVÆ,

Locum X.

DE

REGENERATIONE.

Locum XI.

DE RENOVATIONE.

PRÆSIDE

VIRO SUMME REVERENDO AMPLIS-
SIMO EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DN. JOH. HENRICO MAJO,

S. S. Theol. D. ejusdem, & LL. Orient. P. P. Celeber-
rimo, Facultatis Theol. h. t. Decano Spectabili, Districtus Alsfelden-
sis & Marburgensis Superintendente Vigilantissimo, Consistorii Sacri Adses-
sore Gravissimo; Alumnorum Ephoro & Pædagogiarcha meritissimo.

*Domino Patrono; Ephoro, Præceptore, omnis observantia obsequiique
culu; Paterne Venerando Colendo.*

Publicè

Amico Colloquio subjiciet

Locum X.

MAURITIUS DANIEL SOLDAN, ad d. 11. Nov.

&

Locum XI.

PHILIPPUS JACOBUS SOLDAN, ad 12. Nov.

ANNO M DC XCVII.

H. L. Q. C.

Dauernhei-
miâ Wet-
teravi.

GISSÆ-HASSORUM, Typis HENNINGI MÜLLERI



V I R I S

ADMODUM REVERENDIS CLARISSIMIS
MIS nec non DOCTISSIMIS SPECTATISSIMIS.

DN. JOH. ADAMO RAVCHIO,

Ecclesiae quae Ossenheimiae Feuerbaci & Bauern-
heimiae colligitur, Pastori dignissimo, fidelissimo,

ac

DN. JOH. GEORGIO RAVCHIO,

Flamini Schaffheimensis Ministro meritissimo,
Vigilantissimo.

Ut &

NOBILISSIMO & DOCTISSIMO.

DN. JOH. PETRO RAVCHIO,

Redituum Sacrorum Ecclesiae, quae est Hano Bo-
benhusae, Curatori Probatissimo,

Nec non

HONORATISSIMO SPECTATISSIMO.

DN. JOH. DANIELI RAVCHIO,

Senatus Hano Bobenhusani, Membro Consul-
tissimo.

*Dominis Agnatis, Patronis ut & Fautoribus Aestima-
tissimis, Amantissimis,*

Specimina haecce Theologica

In debita observantia, gratissimique animi signum.

ac ulteriorem suorum Studiorum

commendationem dedicando offerunt.

RESPONDENTES,

LOCUS X.

DE

REGENERATIONE.

§. I.

DE *Regeneratione* bono ordine nunc differimus. Nam quia inter fines Justificationis numeratur *Adoptio in Filios Dei ac eterna hereditatis Adeptio*, facile etiam inde colligitur *Regeneratio*, quae toties indicatur, quoties Deus promisit, se velle suorum Deum & Patrem, eosque suos filios, vel populum esse, Genes. XVII. 7. Jerem. XXX. 22. XXXI. 20. 3. XXXII. 38. Ezech. XI. 19. II. XXXVI. 26. 28. Hof. I. 10. II. 23. Nemo autem fit populus vel filius Dei nisi per regenerationem. Unde *Circumcisionem* instituit Deus in V. T. ut per eam homines regeneraret. Non potuit igitur *Regeneratio* incognita Judaeis esse; licet sequioribus temporibus etiam Doctores Israelis eam vel ignoraverint prorsus, vel nimis tenuiter de illa senserint, quemadmodum ex disputatione Christi cum Nicodemo ea de re habita Joh. III. liquet; *Regenerationis* enim notio & ratio quaedam vel ex Hebraeorum de initiandis Profelytis Justitiae disciplina ac moribus minime obscura erat, quum profelytis ut nomen novum sic quoque natales novos accessisse, vel ex trito illo constet: *גַּר שֶׁנִּמְנָיִר כְּקָטָן* profelytus qui factus est, habetur velut infans iterum natus (vel recens) Cod. *Sevamoth* f. 22. a. l. 29. f. 48. b. l. 4. à fin. f. 62. a. l. 2. long. 92. a. 97. b. l. 23. Quare mirum videri poterat, Nicodemum illam ignorasse. Vid. *Selden* de Jur. Nat. & Gent. juxta *Discipl. Ebr.* L. II. Cap. 4. p. m. 158. Sed recte judicat *Ligtfoot*. *Hor. Hebr.* ad Joh. I. c. hanc *Regenerationem* per Profelytismum contemptibilem & reptantem humi esse. Altius igitur ascendendum est, si *παλιγγεννησια*, quae fit *אֲחֵיִם* sive *אַנְוָּדֵּן*, perdiscere velimus. Interim proderit vel contra recentiores verpas *Regeneratio* per Profelytismum, nec novum videri dogma debet in Religione Christiana, cum in Theologia Judaica veteri & nova illud obtinuerit.

Regeneratio in V. T. saepius indicata.

§. II. Pater sublimioris divinioreque hujus generationis quis nisi Deus erit? Hinc Moses exprobraturus Israeli in Cantico suo Deut. XXXII. ingratitude, ait: v. 6. *nonne ille (Jehova) est Pater*

Ejus Pater SS. Trinitas.

Y 2

84453



tuus, קנין possessores tui (sic enim legunt in plurali num. antiquiores Codices, non קנין ut recentiores) is fecit & preparavit te. Nemo ex ipsis etiam Judæis negabit, majora beneficia populo Judaico à Deo tributa hîc indigitari, quàm quæ ex creatione fluunt; adeoque Deum sublimiori quadam ratione Patrem Judæorum ac Dominum dici. Idem declaratur v. 18. *petra. quæ te genuit, oblitus es, ac Deique te finxit formavitque.* Vide *AbenEsr.* ad h. l. qui tamen ex hac generatione metaphorica male propriam Filii Dei Ps. II. 7. evertere conatur. Bene vero citat *Jes. LI. 1. intuemini rupem ex qua excisi estis, & foramen cisternæ, unde effossi estis.* Ubi cum *Coccejo* ipsum Christum intelligo, qui rupes salutis est, ex cujus latere tanquam ex foramine cisternæ Ecclesia profluxit. Hinc etiam Messias אבי ער Pater aternitatis, s. ut *LXX. Interp. reddidère, πατὴρ τῶν μέλλοντων αἰώνων*, אבא הולך הולך dicitur, & אבא הולך הולך *petra aternitatum aut seculorum, Jes. XXVI. 4. quæ procreat filios fideles, יראה זרע videbit semen. Jes. LIII. 10. Spiritum S. denique non excludi debere, vel ex Ezech. XXXVI. 27. liquet, ubi ita Deus regenerans: & Spiritum meum ponam in medio vestrum.* Ad indicandam Trinitatem Personarum recte adducitur phrasîs *ibid. v. 28. eroque vobis לאלהים* conf. loca §. I. citata. E *Kabbalisticis* posset huc trahi, quod de Patre & Matre habent superiori & inferiori. Mater superior illis est *Binah*, quæ influxum à *Chochmah* accipit & ad inferiora derivat. Patres quoque de *Spiritu S. incubante aquis* in primæva creatione notant, quod idem etiam in regeneratione vim vitamque spiritualem conferat, veluti mater. Sed nolumus sectari subtilitates, quas non omnes capiunt.

Mater Ec-
clesia.

§. III. *Matri* nomine potius Ecclesia vera venit, & *Gal. IV. 26. ἡ ἀνω ἱεραρχία* dicitur Paulo, quæ Mater est omnium nostrorum, & *Ebr. XII. 22. ἐπὶ θρόνον* celestis, complectens, *Luthero* explicante in *Comment. ad Gal. l. c. credentes sparsos per totum terrarum orbem, qui idem Evangelium, eandem fidem in Christum, eundem Spiritum S. eademque Sacramenta habent.* Quæ expositio in *Jes. LIV. 1. fundata indeque ab Apostolo petita probatio est.* Neque alibi infrequens, fideles appellari filios Ecclesiæ. In *Mass. Taanith fol. V. a. lin. 6. a. fin. & Medrasch Tillins ad Ps. 122. 3. ירושלים העליונה* superioris & inferioris *jerusalem* mentio fit. *Albo Ikkar. III. 21. fol. 86. a.* ex majorum sententia scribit, *jerusalem inferiorem esse ירושלים תחתונה*

plum vel figuram superioris. Recentiores Judæi, quando de Profelytis in gremium Ecclesiæ Judaicæ se recipientibus loquuntur, dicunt, *השכינה תחת כנפי השכינה* eos intrare & tutam habere stationem sub alis divinæ Majestatis, vel *להכנס לקהל ישראל* introire in congregationem s. Ecclesiam Israel. Hinc Raschi verba Genes. XII. 5. animas, quas fecerunt, Abraham & Sarah, explicat similem in modum: quos intrare fecerunt sub alas Schechina; Scriptura vero eis tribuit, quasi illos fecissent, vel genuissent. Haussit hunc sensum procul dubio ex Targumistis, qui eum exprimunt omnes, Onkelos, Jonathan & Hierosolym. Non absimili sed tamen clariori certiorique ratione Paulus se vocat Corinthiorum Patrem, i. Cor. IV. 15. siquidem, subdit, in Christo Jesu per Evangelium meum vos genui; Galatarum Matrem, Gal. IV. 19. & Timotheum filium suum genuinum in fide, i. Tim. I. 2. Sunt enim Doctores Verbi *טובי דעא* & veræ causæ regenerationis, licet ministeriales, per quas Deus, ceu causa princeps, regenerat. Huc refero tritum illud apud Hebræos Mass. Sanhedr. fol. 19. b. lin. 7. àf. *Quicumque instituit Filium amici sui in Lege, id imputat ei Scriptura, לא ילדו לו* ac si genuisset illum. In Bereschith Rabba ad Gen. XII. 5. f. m. 43. col. 4 dicitur pro genuisset *בראו* eum creasset. Hincque discipuli Prophetarum passim *Fili Prophetarum* in libris Regum vocantur, observante Targum, idque sequentibus Judæis. Vid. i. Reg. XX. 35. 2. Reg. II. 3. 5. 7. &c. Genuerunt autem filios Prophetæ per Verbum tanquam semen incorruptibile. Quapropter discipuli æque colere & revereri Doctores suos tenebantur ac Patres, imò, ut Majmonides in Hilch. Talmud Tora Cap. V. f. m. 21. b. tradit, *amplior illis quam his reverentia debetur; Patres enim eos ad vitam presentis mundi genuerunt, Præceptores autem להי העולם הבא ad futuram æternamque vitam.*

§. IV. Quid optimum benignissimumque Patrem cœlestem causa mō-
moverit, ut tanti benefici compotes redderet homines, facile intel-
ligitur ex his quibus apud Jeremiam utitur verbis XXXI. 20. *viscera*
mea commota sunt erga Ephraim, miserendo miserebor ejus,
regenerabo igitur eum, & sic faciam, *ut mihi sit filius pretiosus*
& *natus deliciarum.*

§. V. Acquisivit autem nobis, ut cœtera omnia beneficia, ita Meritoria,
& hanc regenerationis gratiam, Messias s. Filius Dei. Ille oppigno-
ravit

ravit cor suum, accessit ad Patrem, tanquam Pontifex (vid. Art. de Justific. §. V. med.) effecitque, ut populus & filii Dei fieremus.

Media.

§. VI. Adhibere Deum media, quibus regeneratio perficiatur, jam innuimus. De *Verbo* testimonium extat Jerem. XXXI. 33. *Dabo*, inquit Deus, Ephraimum regeneraturus, & novum fœdus cum domo Israelis & domo Juda initurus, *legem meam*, i. e. doctrinam fidei vivæ efficacem, *in medio eorum*, scribamque in corde ipsorum; *& sic ero illis in Deum*, in Patrem, ac ipsi erunt mihi in populum, s. in Filios. Conf. §. I. De *Circumcisione* alibi dicemus. Nunc notabimus hoc unum duntaxat, quod Deut. IV. 4. Deus præceperit, ut Judæi se *Domino circumciderent*. Eo quippe innuitur, circumcissionem fuisse efficacem regenerationis medium, cujus vis in mortificatione veteris hominis se exserat. De *Baptismo* sive aspersione aquarum, luculentum habemus testimonium Ezech. XXXVI. 25. Quod vero regeneratio simul quoque ex *spiritu* fiat, ibidem v. 27. docetur. Idem ergo Propheta medium regenerationis ostendit ac prædixit, quod Servator noster Joh. III. 5. nempe aquam & spiritum. Sola enim aqua tantam rem, qualis est regeneratio, efficere non posset. Unde *Abarbanel*, qui vaticinium hoc recte ad futura s. Messia tempora retulit, de conversione explicat aspersione aquarum purarum, eamque Deo propterea tribui hinc observat, quoniam perfecta conversio haut sit, nisi *עם העזר האלהי nisi Deo opitulante*, qui *influxum suum largiatur peccatori, ut ad se redeat*.

Forma.

§. VIII. Indoles ac ratio Regenerationis occulta quidem est & nullis sensibus obvia, exprimitur tamen per novum cor, novum spiritum & novum hominem, qui in statutis Domini ambulare queat. Quod sine immutatione fieri nequit. Tota res in Ezech. loco sæpius indicato & alibi in Scriptura S. luculenter traditur. Conf. *Theol. Moral.* p. 83. Ex Judæorum monumentis & traditionibus huc referimus, quod de Profelyti Regeneratione dicunt, eum non tantum novum nomen sed natales quoque novos accipere, ita ut nulla deinceps ei restet pristina cognatio s. sanguinis relatio, secundum regulam vulgarem: *כל שאר בשר שהיו לו כשהוא גוי אינן שאר בשר* *Quisquis profelyto consanguineus erat, dum fuit gentilis, consanguineus plane jam non est.* Nempe, ceu *Seldenus* de J. N. & G. II. 4. p. m. 158. ait, velut jam primo creatus aut è caelo lapsus omnino novus homo fiebat, consanguinitate pristina non minus ac Gentilismo prorsus exutus.

Paulo

Paulo post ex Cabbalisticis nonnulla adfert de animabus novis in pro-
felytos Justitiæ eo momento, quo Gentilismo renunciant & veritati
morem gerunt, è cœlo delabentibus, ut sic plane novi homines fi-
ant, prioribus animabus, quæ occupaverant infidelia corpora, sive
evanescentibus, sive redeuntibus. Quæ eatenus tantum recipimus,
quatenus iudera veritatis pristinae habent, & ad fontes Scripturæ re-
ducuntur ac cum iis consentiunt.

LOCUS XI.

DE

RENOVATIONE.

§. I.

Regenerationem excipit *Renovatio*, quâ propter inhabitans & Necessitas
remanens peccatum etiam in renatis, semper opus est in hac vi-
ta. Nam *caro concupiscit adversus spiritum*, ταῦτα ἀντικειται ἀλ-
ληλοις *hæc tanquam hostes oppositi mutuo sibi sunt*, Gal. V. 17. Quod
Judæi in Tract. Talm. *Nedarim* cap. 3. sic efferunt: צר טוב יעשה
עם צר הרע *figmentum malum pugnat cum figmento bono*.
Huic simile aliud effatum est, in *Bereschit Rabba* ad Gen. I. ult. Pa-
raf. 9. fol. II. col. 3. *quamdiu justi vivunt*, הם נלחמי עם צרן *pug-
nant cum cupiditate sua, quando vero moriuntur, quiescunt*. Q. S.
E. (Job. III. 16.) & ibi quiescunt &c. In fin. Cap. 3. *Nedar.* fol. 32. b.
lucta hæc concupiscentiæ bonæ & malæ ex Eccles. IX. 14. describitur
metaphoricè, h. m. quod *urbs parva* sit corpus hominis, *Rex magnus*
concupiscentia mala, *vir pauper sapiens* figmentum bonum, qui
urbem scientiâ sua servaverit, i. e. pœnitentia & operibus bonis
&c. Conf. *Targum Aben Efr.* & *Raschi* ad h. l. qui eadem ex Talmud
repetunt. Ne ergo succumbant homines in peccatis, renovatione
& sanctificatione opus est quotidiana, quemadmodum subinde Deus
præcepit, Lev. XI. 44. 45. והייתם קדושים *sancti sitis quoniam*
ego sanctus, ego Deus, XIX. 2. XX. 7. 26. XXI. 6. Sanctificatio enim &
Renovatio Synonyma sunt, ut satis constat.

§. II. Possè verò hominem hoc opus suscipere & perficere, Possibili-
indefacile colligitur; quoniam Deus est, qui illud in nobis inchoat
efficitque, dum cor spiritumque novum, juxta promissionem suam,
Exech.

Ezech. XXXVI. 25. ff. dat & facit, ut regenerati atque renati in præceptis suis ambulent. Huc refero illud ex *Succah* Cap. V. fol. 52. b. lin. 1. ff. *concupiscentia hominis עליו מתגבר* effert se contra ipsum quotidie, ac interficere illum studet, Q. S. E. Speculatur impius iustum, quaritque, ut eum interficiat, Psal. XXXVII. 32. ואלמלא לו שיעור לו *¶ nisi Deus B. opem illi ferret, non prevaleret*, Q. S. E. l. c. v. 33. Jehovah non derelinquet illum in manu ejus; neque condemnabit illum cum judicabitur. Tametsi igitur concupiscentia mala שולט באדם *dominium in hominem exferat*, ut ex Cod. *Sanhedr.* in Loc. de Pecc. p. 113. adduximus, inde à formationis tempore, ei tamen resisti debet & potest, Deo adjuvante adhibitisque mediis divinitus concessis, ut sunt: 1. *ardens oratio*, exemplo Davidis, Pl. LL. 12. *cor purum crea mihi* &c. In Cod. *Berachoth* fol. 16. b. lin. 2. à f. & fol. 17. a. leguntur formulæ quorundam Magistrorum, quibus petebant *liberari מוצר הרע* à figmento malo, R. Alexandri ita finiebat preces: *Domine seculorum! notum tibi revelatumque est, quod voluntas nostra sit, facere voluntatem tuam. Quis vero impedimento est? fermentum quod est in massa, (i. e. prava concupiscentia, vid. p. 113.) ¶ servitus regnorum. Placeat tibi, ut ista humiliter ante ¶ post nos, quò iterum facere possimus statuta beneplaciti tui, perfecto corde.* 2. *Verbi divini meditatio & usurpatio*, ac præsertim Evangelii, utpote quod propter insitam vim efficaciamque nos purgat, illuminat, renovat &c. Refero huc familiarium R. *Ismaelis* monitum in Cod. *Succah* fol. 52. b. lin. 5. *si occurrat tibi impurus iste (Jezerhara) משכהו לבית המדרש* trabe ipsum in Scholam, ubi Verbum Dei docetur. *Si lapis fuerit, comminuetur.* Q. S. E. Job. 14, 19. lapides comminuunt aquæ: *Per aquas autem Lex intelligitur*, juxta illud Jes. 55, 1. heus omnes sitientes, ite ad aquas. *Si ferrum fuerit, dissiliet*, Q. E. S. Jer. 23, 29. nonne ita verbum meum est? sicut ignis, dicit Dominus, & sicut malleus, qui facit ut dissiliat petra. Quæ explicationem aliquam accipiunt ex 7. nominibus concupiscentiæ, supra p. 115. relatis, inter quæ etiam 6. dicitur *lapis*, quemadmodum, ut Talmudistæ fol. cit. col. a. lin. 9. à f. probant, Ez. 36. dicitur: *¶ abolebo cor lapideum* &c. 7. *occultum*, Joel II. 20. absconditum amovebo à vobis procul &c. In eod. Cod. *Berachot* fol. 5. a. lin. 6. brevius res ita effertur: *Si quis vincere concupiscentiam pravam nequit, יעסוק בתורה* occupatus sit in Lege. 3. Accedit *Sacramentorum vis.*

Unde

Unde R. Isaac Bar Abraham in Mun. Fid. Part. I. Cap. II. scribit, Circumcisionis ritum propterea etiam institutum esse, ut concupiscentiam imminueret. Idem de Baptismo ex Ezech. XXXVI. dici posse, suo loco probabimus. Denique 4. homo justificatus, regeneratus & fidelis tantas vires habet, ut, Deo adjuvante, magna parare per fidem, supra naturam assurgere eique imperare queat, ceu ex R. Albo & Japhel supra in Art. de Justif. §. VII. declaratum est.

§. III. Qua in re verò Renovatio consistat ac quæ ejus ratio in-
dolesve sit, ex hæctenus dictis haut obscurum est, intelligique satis
vel ex uno loco Ezech. 36. potest. Cum enim ea generatim consistat
in conformatione cordis & vitæ hominis cum lege divina, & verò
utrumque ibi dilucide tradatur, nihil est, quod prolixi hîc sumus.
Ipsa quoque *Renovationis* vox rem declarat, qua restitutionem re-
parationemque imaginis divinæ per lapsum amissæ, vetustate carnis &
peccati corruptæ, significat, ceu ex Psal. LI. 12. colligi potest, ubi
David petit à Deo creari darique sibi *לב טהור* *cor mundum* sive vires
supernaturales ac spirituales, ad exercendum veram fidem, mortifi-
candum veterem hominem, obediendumque Dei præceptis, &
רוח נכון *spiritum promptum* paratumque ad exsequendum id, quod
excitat Spiritus S. credentibus datus, quodque requirit Deus, *inno-*
vari intra se. Atque hoc ipsum est *הרוש* Renovatio hominis.
Quò etiam respicit commate 14. quando precatur: *sustinet me*
רוח נדיבה *spiritus spontaneus*, qui spontaneum reddit hominem, li-
berum & ingenuum ex mancipio peccati, quique decet populum
נדיבות *spontaneitatum* Psal. CX. 3. sive *principalem* ut LXX. & vulgat.
reddunt, & quorsum Petrus I. Epist. II. 5. 9. respicere videtur, quan-
do nominat *ιεράτευμα ἁγιον & βασιλειον*, *sacerdotium sanctum ac*
regium, quod offerat spirituales hostias, Deo acceptas per Jesum
Christum, quæ etiam per sacrificia Levitica adumbratæ erant, que-
madmodum suo loco fusius ostendemus. Hoc unum addo, ex sa-
crificiis petitam esse vocem *mortificationis* hoc in argumento fami-
liarem, & ne gratis dixisse id videar, comprobatum dabo, ex libro
Ir Gibborim, ubi fol. 19. col. 3. pœnitentia ita describitur:

<p>התשובה היא שהאדם זוכה יצרו ומתודה עליו והמשילו אותו ר"ל לתבאת קרבן</p>	<p><i>Pœnitentia est, cum quis maculat s. mortifi-</i> <i>cat concupiscentiam suam pravam, & con-</i> <i>fitetur super illa. Hoc veteres p. m. compa-</i> <i>rant cum oblatione sacrificii.</i></p>
---	---

Z

Quò

Quò referunt Psal. LI. 19. Vid. *AbenEsr.* Comment. h. l. qui itidem de pœnitentia explicat sacrificia, & ad v. 12. scribit, Davidem petere à Deo *cor mundum*, ut Deus sibi auxilio sit יצרו לי *contra concupiscentiam suam, ne peccet iterum, ut antea.* Non minus bene *Kimchi* verba ita *וּפְרָאֵלֶי*: *nunc intentio mea bona est, tu vero (ô Deus!) iuva me in ea, sustenta cor & spiritum meum, ut purum sit, יִשְׁלֵי יְהוָה* ne dominium iterum in me exerceat concupiscentia mala. Ex *R. Majmonide* sequentem verborum & spiritus spontaneus suffulciat me, circumscriptionem adfert: *quiescat spiritus meus spontaneus, ut faciat desiderium suum; neque peccata mea causentur, quo minus pœnitentiam consequar, quin potius concedatur mihi reverti & intelligere viam veritatis.* Denique ad v. 19. notat, Deum præcipuè sacrificia mandasse propter contritionem cordis ולבטל תאוה הגוף מלבו *& ut cessare faceret concupiscentiam carnalem è corde.* Confer, quæ §. anteced. de mediis Renovationis diximus. Homo igitur fidelis Dei ope fretus & adminiculis adjutus, sedulo observare debet motus & תאוה הלב *desideria cordis omni tempore atque hora, ut R. Bechai loquitur; Deus enim, ut idem ad Lev. XIX. קדושת המחשבה* sanctitatem cogitationum quoque, non tantum operum, præcipit, & bene observante autore libri *Ir Gibbor.* fol. 21. col. 4. sæpe invenimus illum etiam vocari פושע *prævaricatore, qui per ignorantiam peccat, (השונג) quia prævaricatur בשמירת היצירה* in custodia concupiscentiæ innatæ, quod illam non observat, ut decet, ne ipsum impingere faciat. Nam, concupiscentia prava מסית pellicit hominem ad transgressionem in hoc seculo, & testatur contra eum in seculo futuro; quod ex *Prov. XXIX. 21. magistri docent, id. fol. 7. col. 3. Cod. Succa fol. 52, b. lin. 10.* Hoc non tantum de irregenito sed etiam de renato verum est, unde idem auctor sæpius citat hoc antiquorum dicterium, quod reliquerit concupiscentia mala Gentes & tentet Israelem, ac sapientum discipulos quam maxime. En! Lex constringit Israelem in carcerem concupiscentiæ vel peccati, והוא תקפו ברבר הנאמר *utpote cuius vis in re vetita sese patissimum exserit.* fol. 59. col. 4. 109. c. 3. Quæ fere conveniunt cum *Rom. VII. 8. ff. & Jac. I. 14. ff.* Quare primis motibus resistendum, & nullum peccatum leve ducendum est. *Iustus concupiscentia prava similis videtur monti excelso, impiis autem filio capilli. Utrique flebunt* (futuro sc. tempore, quo Deus concupiscentiam malam ad se citabit

citabit & in conspectu utrorumque mactabit) *justi quidem* ideo, quia dicent: *quomodo potuimus subigere montem tam sublimem? impii autem* (ex contemptu) dicent: *quomodo non potuimus* (facile) *subjicere filum hocce pili?* Mass. *Succa* fol. 92. a. med. Conf. R. D. K. ad *Jes. V. Bibl. Buxt.* fol. נון a. lin. 3. à fin. Alias dicunt, *concupiscentiam malam ab initio esse velut peregrinum, postea velut hospitem, tandem fieri patrem-familiâs, si scil. admittatur.* Ergo principiis obsta, difficilius ejicitur, quam non admittitur hospes. *Raphaël Minorzi* in *Sea Solet* fol. II. II. scribit, *homini incumbere, non tantum ut à Deo petat sibi dari cogitationes puras & corporum, juxta Pl. LI. 12. sed necessum etiam ipsi esse, ut post semel admissam medicinam in intentione occupatus sit, id est, ut cor cogitationesque suas intendat in Deum, & non nisi bona rectaque cogitando & agendo sectetur; si verò cogitatio prava irrepsit, eam reprimat, שלא תגמר בלבו ne perficiatur in corde ejus. Si vero illam in herba non oppresserit, sed in corde perfecta illa fuerit, poena dignus erit.* Quodsi autem cogitatio ejus continuata fuerit aliquandiu, ac intenderit in corde suo Deum timere atque in viis ipsius incedere, tum etiam Deus impertietur ei bonum, & secundum justitiam suam rependet. Pertinet huc quod *R. Japhel* in *Catechis. Quæst. 24. & seqq. de radicibus iniquitatum* tribus, *temeritate, ignorantia, & defectione, extirpandis, septem abominationibus, otio nimirum, superbia, intemperantia, impudicitia, iracundia, avaritia, & invidia, & sex illis, quæ odit Dominus, confidentia, desperatione, veritatis agnita abnegatione, livore, pertinacia, impoenitentia, & fugiendis, oppositisque hujusmodi vitiis virtutibus excolendis copiose tradit.* In primis autem *Quæst. 35. & ad eam data Responsio* legi meretur, ubi scribit, *ut Satanae s. prava concupiscentia, insidias homini perpetuo ponenti, & ad peccandum instiganti, resisti queat, ulterius opus esse gratia benevolentiaque Dei, que nos juvet, regat, animamque nostram è potestate inferni eripiat; hanc autem obtineri precibus, animi & bonorum operum studio, secundum Plal. 84, 12. & 145, 18.*

§. IV. *Finis Effectusque* Renovationis est I. *Gloria Dei, quæ* Finis & Effectus. multis modis hîc conspicua est. *Gloriosa gratia* est, quod nos renovet, novum spiritum nobis donet, nos adjuvet, media efficacia indulgeat, §. II. *Gloriosa potentia* Dei est, quæ in infirmis se exferit, ut possint vincere & refrænare cupiditates carnis, ac bona facere inte-



rius & exterius. Ille enim, ut iterum *Catechismus Jud* ad Q. 35. habet, *gratioso dat ipsi fortitudinem adversus otium & ignaviam, timorem sui intimum, adversus superbiam, intelligentiam, contra intemperantiam, sapientiam, adversus impudicitiam, prudentiam adversus iracundiam, consilium adversus avaritiam, benignitatem adversus invidiam.* Pascit insuper cum illarum virtutum fructibus, qui anima dulcedinem, ossibus irrigationem, malisque & carnalibus affectionibus cunctis medicinam prestabunt, quales sunt: amor, letitia, pax, sedulitas, innocentia, puritas, continentia, sanctitas, humilitas, timor intimus ex cognitione *Majestatis Creatoris sui & intelligentia viarum ejus, sapientia plenissimarum, oriundus, pietas & tandem Spiritus S.*

2. *Ignorans nostra ad omne bonum, quæ ex dictis facile colligitur atque intelligitur.* Addam tamen iterum ex iisdem institutionibus *Catecheticis, quæ non inepta nec incongrua videntur, Q. 36. Postquam ex corde hominis vinum rerum mundanarum & voluptatum exiit, intrabit in cor ejus secretum Dei (i. e. intelliget mysteria) & Spiritus S. ejus disponet illum, & illuminabit tres anime partes, intellectum, voluntatem & memoriam, ita ut delectetur atque intelligat tria ista dona, quæ fundamentum fidei & legis constituunt, nempe fidem, spem & charitatem, lucemque videat, etiam dum adhuc tenebris caliginis materia & corporis sui tenetur, nec instar cæci oberret.*

3. *Exercitium bonorum operum, ut homines viribus acceptis utantur, in præceptis Dei ambulent, judicia ejus observent atque faciant, Ezech. XXXVI. 26. Quo de in sequenti Loco.*

Adjuncta.

§. V. Quia verò justis & renovatis quamdiu vivunt, cum concupiscentia sua pugnant, (vid. supra §. I.) nunquam in hoc seculo perfecta est renovatio. Quare continuari semper & magis magisque perfici debet. Vid. *Theol. Symb. & Moral.*

Loc. XII.

01 A 6617

ULB Halle 3
003 090 469



W 17







5.
 N. 7.
 EOLOGIÆ JUDAICÆ
 S & NOVÆ,
 cum X.
 DE
 RATIONE.
 &
 cum XI.
 DVATIONE.
 ÆSIDE
 REVERENDO AMPLIS-
 SIMO DOMINO,
 ENRICO MAJO,
 & LL. Orient. P.P. Celeber-
 ccano Spectabili, Districtus Alsfelden-
 te Vigilantissimo, Consistorii Sacri Adses-
 n Ephoro & Pædagogiarcha meritissimo.
 ceptore, *omnis observantia obsequi que*
rne Venerando Colendo.
 Publicè
 Colloquio subjiciet
 Locum X.
 SOLDAN, ad d. 11. Nov. { Dauernhei-
 & { miâ Wet-
 Locum XI. { teravi.
 SOLDAN, ad 12. Nov. {
 O M DC XCVII.
 H. L. Q. C.

4, Typis HENNINGI MÜLLERI

